0442

tenacibus semper illecebris. necesse est (ut solebat) vinolen-
tia invitet inflet superbia iracundia inflammet rapaci-
tas inquietet crudelitas stimulet ambitio delectet. libido
precipitet: Hec egomet sepe mecum Nam ut ipse quam plurimis
vitae plurimis vite prioris erroribus implicitus tenebar
quibus exui me posse non crederem sic viciis adherentibus ob-
secundans eram: desperatione meliorum malis meis velut iam
propriis ac vernaculis favebam: Sed postquam undis genitalis
auxilio superioris evi labe detersa in expiatum pectus ac purum
desuper se lumen infudit. Postquam celitus spiritu hausto in novum
me hominem nativitas secunda reparavit. Mirum in modum protinus
confirmare se dubia patere clausa: lucere tenebrosa: facultatem dare.
quod prius difficile videbatur geri posse. quod impossibile putabatur:
ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum delictis
obnoxium viveret. dei esse cepisse. quem iam spiritus sanctus animaret
Scis ipse profecto et mecum pariter recognoscis quid detraxerit nobis
quid ve contulerit mors ista criminum vita virtutum Scis ipse: nec
predico in proprias laudes. odiosa iactatio est: quamvis non iactatum pos-
sit esse sed gratum quicquid non virtuti hominis ascribitur. sed de dei munere
predicatur: ut iam non peccare esse ceperit fidei: quod ante peccatum
fuerat erroris humani. dei est inquam dei omne quod possumus
inde vivimus inde pollemus. inde sumpto et concepto
vigore: hic adhuc positi futurorum indicia prenoscimus. Sit tantum
timor innocentie custos: ut quod in mentes nostras indulgentia
celestis allapsa clementer influxit: Iusta oblectantis hospi-
tio operatione teneatur: nec accepta securitas indiligentiam
pariat. et vetus denuo hostis obrepat: Ceterum si tu innocentie
si iustitie viam teneas illapsa firmitate vestigii tui si adheres in deo

viribus totis ac toto corde suspensus. hoc sis tantum quod
esse cepisti tantum tibi ad licentiam datur quantum gratie
spiritalis augetur Non enim (qui beneficiorum celestium
mos est) in capessendo munere celesti mensura ulla vel
modus est: profluens largiter spiritus nullis finibus pre-
mitur nec coercentibus claustris intra certa metarum spa-
cia refrenatur. manat iugiter exuberat affluenter nostrum
tantum sitiat pectus et pateat quantum illuc fidei capacis
afferimus tantum gratie inundantis haurimus Inde
iam facultas datur castitate sobria mente integra voce
sincera vox pura In medulla adolescentem posse venenorum
vires extinguere animorum depravatorum labes sanitate purgare
infestis iubere pacem violentis quietem ferocientibus lenitatem
immundos et erraticos spiritus qui se expugnandis hominibus im-
merserint: ad confessionem minis increpantibus cogere ut rece-
dant. duris verberibus urgere. conflictantes heiulantes gementes incre-
mento pene propagantis extendere. flagris cedere: igne torre-
re. Res illic geritur nec videtur Occulta plaga et pena ma-
nifesta. ita quod iam cepimus accepto spiritu licere sic
possumus. quod nec dum corpus ac membra mutavimus:
adhuc carnalis aspectus seculi nube cecatur. Quanta hec
animi potentatus est: quanta vis est. non tantum ipsum esse sub-
tractum perniciosis contactibus mundi: ut qui expiatus et purus
nulla incursantis inimici labe capiatur: sed adhuc maiorem
et fortiorem viribus fieri ut in omne adversarii grassantis exercitum
imperioso iure dominetur. Atque ut illustratis veritate patefacta divini
muneris indicia clarescant lucem tibi ad cognitionem dabo.
malorum caligine abstersa operti seculi tenebras revelabo: Pau-
lisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem spe-